


Johann Ernst Schaper


**Rector Academiae Rostochiensis Johannes Ernestus Schaper, ... Ad
Pentecostales Ferias Pie Celebrandas, Unctionem Medicam Eamque Spiritualem,
Singulis Academiae Civibus In Memoriam Revocat, Ejusque] ... Commendat**

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003466524>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1711. Pfingsten

~~A 1256.~~ 128.

Hf. 1711

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOHANNES ERNE-
STUS SCHAPER,

MED. DOCT. EJUSQVE PROF. PUBL. ET OR-
DIN. FACULT. SUE SENIOR, SERENISSIMI DUCIS
MECKLENBURGENSIUM REGENTIS ARCHIATER
ET CONSILIARIUS AULICUS,

AD


PENTECO-
STALES FE-
RIAS



PIE CELEBRANDAS,

UNCTIONEM MEDICAM
EAMQVE SPIRITUALEM,

SINGULIS ACADEMIÆ CIVIBUS
IN MEMORIAM REVOCAT, EJUSQ; PERENNEM USUM
ADVERSUS SECVLI HUIJUS CONTAGIONEM
SUMMOPERE COMMENDAT.



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 125
1465



Quantum jam post lapsum malorum contagione nos miseri versemur, nisi ipsis sensibus & quotidiana experientia de terribili generis humani corruptione commoneferemus, dum tantam in Ecclesia, opinionum pravitatem, morum perversitatem, piorum etiam tentationes ac lapsus, in Republica, magnas rerum confusiones, immanes hominum strages, sanguinis profusiones, ac communes calamitates, in privata verò vita, varios tristesque casus, miseras, ærumnas, morbosque non sine summo dolore conspiciamus, sola certe mediocri, quibus DEUS ad restituendam nobis deperditam salutem utitur, consideratio satis docere potest. Quam insolita enim, quam violenta & portentosa remedia ob mali desperationem adhibere compellitur divina misericordia! Ea profecto, quæ in animum quis haud inducere aut credere posset, nisi divina SPIRITUS SANCTI gratia collustratus. Quam portentosum enim, audire DEI Filium, purissimum illud ac sanctissimum Numen, rerumque omnium Conditorem, alvum ac semen Virginis, ut homines redimeret, non fastidire, atque, ut Hieronymus loquitur, in utero novem mensibus, ut nascatur, expectare, fastidia sustinere, ac tandem cruentum egredi! Quam violentum est, DEI dilectissimum pro salute nostra servili affici supplicio, ac DEUM in cruce pati & mori! Quam insolitum est, SPIRITUM SANCTUM materiae expertem visibili specie in Apostolos immitti, iisque

que constanter conjungi! atq; durum etiam istud videtur, pios hos CHRISTI Discipulos SANCTI SPIRITUS gratia & lumine illustres, Deoque dilectos, non furoribus tantum atque odiis mundi, sed cruciatibus etiam & cædi objici, modo ut Evangelii præconio rebellis tandem aliquando mundus obsequatur, DEO reconcilietur, tamque difficili ratione servetur. Hanc igitur & communem & suam quisque consideremus O Cives! miseriam, deploremus peccati contagionem, arque ut corpori, cum ægrotat, medicinam & remedia adhibemus, ita quoque ut ægrotanti, imbecilli, vulnerato, afflicto animo certa afferatur medela, semper solliciti simus, certissimum persuasi, vix tot, tam graves tamque periculosas experiri imbecille corpus nostrum infirmitates, quot & quantis iisque exitialibus morbis mens humana conflatur atque intabescit. Præsto autem est divina medicans gratia, ipse occurrit DEUS, ipse promptâ in auxilium vulnerum atque morborum venit voluntate, effundit sacrum SPIRITUS SANCTI oleum, ac salutifero hoc unguento omnium morbida corda delibuta cupit. Hujus quondam per Apostolos in primæva Ecclesia visibile dedit symbolum ipse CHRISTUS, cum Discipuli poenitentiam prædicare jussi etiam ægrotos oleo ungerent sicque sanitati restituerent Marc. VI. 12. seq. Quem ritum suis etiam postea commendavit Apostolus Jacobus Cap. V. 14. Verum ut alia in Ecclesiæ Christianæ incunabulis miraculosa dona dudum cessarunt, ita hujus quoque olei vis exspiravit, quicquid etiam alii diversis temporibus de variis sacro oleo editis miraculis gloriantur, quale forte etiam istud est, quod in scripto, *Relation von der Wunder-Cur / so am lahmen Märdgen Anna Munnings durch Glaub und Salb-Dele erwiesen / übersetzt aus dem Englischen anno 1707. relatam* legimus. Constans autem & ad finem usque seculi duraturum est *χρισμα* illud, sive sacra SPIRITUS SANCTI unctio, cujus usum ac divinam virtutem Johannes Apostolus tantopere omnibus Christianis I. Joh. II. 20. commendat, *at vos, inquam, unctionem habetis a Sancto illo & vobis omnia: & v. 27. Sed unctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: nec necesse habetis, ut quisquam doceat vos:*

) (2

verum

verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, etiam verum est
& non est mendacium: & sicut docuit vos, manete in eo. Quan-
tum hic discedant à verborum veritate Pontificii, monstrofi illi
ungendi artifices, quantumque etiam salutis tribuant unctionibus
suis, non tantum in aliis rebus sacris, sed in ipsa etiam Baptismi
administratione, nolo huc multis transcribere. Prætereo etiam
Enthusiastas illos Quackeros, miserum illud hominum genus, qui
dum ab externis Pontificiorum nugis cupiunt remotiores esse, in-
ternis mentis suæ lûsibus ita abripiuntur, ut nec sacris literis di-
vinam virtutem tribuant, magis confidentes interno suo Spiri-
tui ejusque suggestionibus, provocantes interim semper ad uncti-
onem illam S. Johannis. Id tamen dolendum, in nostra etiam
Ecclesia excrevisse tandem Indifferentistas, tanquam excremen-
tum quoddam impietatis, qui dum omnem veritatem divinam
oppugnant, dum priscam doctrinæ formam invertunt, omnem-
que institutionem, Catecheses & Systemata rejiciunt, solam un-
ctionem Johannis sibi relictam esse putant, quâ se solantur &
tuentur, Christianos clamantes unionem omnia docere, inde nec
informatione ipsis, nec Doctore, nec libris opus esse. Vah!
quantum Dippelius ille famosus tumultuatur! quantum libellus
ille Lutherus ante Lutheranismum inscriptus, ipsis etiam Lutheri
verbis abusus! quantum etiam Arnoldus ille, & quantum alii!
quorum verba afferre non permittit rei nostræ brevitatis. Alia-
mens est Sancti Johannis, alia verba, aliusque Scopus divi-
næ veritatis. In eo namque occupatur Apostolus, ut contra
Antichristos illos Ecclesiam turbantes in memoriam revocet doctri-
nam illam cœlestem de JESU CHRISTO vero Messia ac Salvatore
mundi, quam Christiani, ad quos scribitur, jam ante sparsos
Anti-Christorum furores, sive ab ipso Apostolo, sive ab aliis
viris Apostolicis, purisque Doctoribus & Catechetis acceptam
in baptismo solemnî ritu pie amplexi ac professi erant. Hoc
chrîsma, hæc unctio est SANCTI SPIRITUS, quæ Christianis
etiam nomen suum fecit. Christianos compellat Johannes, id
est homines non novâ doctrina imbuendos, quod Antichristi
illi tentabant, sed tales, qui jam informati, satis erant Apostolica
doctrina

doctrina v. 21, qui abluti jam erant Sacro baptismatis fonte ceu renati
& Filii Dei cap. III. 1., non spernentes testem salutis suæ aquam cap.
V. 8, qui jam credebant in nomen Filii DEI v. 13, qui testati jam
erant victoriam fidei suæ, quam de mundo & Diabolo reportave-
rant, C. II. 13, 14. Dumq; ex auditu hausisse dicuntur veritatem
illam ab initio Cap. II. 24, dumq; ipsis etiam Johannes scribit, ut
magis confirmetur, Cap. I. 4, palam est, non posse per uncti-
onem intelligi corpoream illam, quæ corpus afficit, aut Spiritum il-
lum internum, qui est sine informatione externa, sine Scriptura, cui
attendere jubemur tanquam firmiori luci quacunq; aliâ etiam celesti
2. Petr. I. 19, si illuminari velimus ad salutem: sed doctrina illa Evan-
gelii, quæ dum aures circumfluxerat, in animos etiam ipsos influxerat
quàm suavissimè, ut in obsequium fidei concederent discipuli illi
Johannis, velut perfusi oleo, quò emolliuntur & flectuntur mem-
bra rigida. Hoc unguentum est odori ferum Cant. I. 3, hæc fra-
grantia illa est & odor vitæ 2. Cor. II 15. sqq. reficiens semper animam,
quoties memoria tantæ salutis recurrit, ut solum etiam Chrismatis
nomen sufficere putaverit Johannes ad suavitatem Evangelii expri-
mendam & veritatem retinendam. Lux enim est in hoc Chrismate,
quæ ad æternam vitam suos radios diffundit, vita est & ipsa virtus
divina. Unde enim doctrina fidei, nisi ex Scriptura, quæ est ipsa
ὄσμη & divinæ virtutis, qua non potest esse major. Anne
lampades illæ virginum prudentum lucidæ fuere? anne extinguï
potuere, quamdiu oleum aderat Matth. XXV? quomodo lucem
non habeat, quod ipsas tenebras mentis dispellit plus quam Ægyp-
tias? Chrisma est ad animæ conservationem, ad infinitos ejus
recessus penetrans, eosq; dividens & dijudicans. Ast divinæ lucis
oportet esse, quod ad interiora animæ accedit, quæ sunt abditissi-
ma. Quid juvat Chrisma illud, quod in superficie cutis hæret,
non altius permeans? & tamen tenebricosa possunt esse, quæ cor-
pori applicantur. Verùm animæ, quæ medentur, ipsam lucem affe-
rant necesse est, dum morbus animæ & mors in ipsis tenebris con-
sistunt Ephes. IV. 18, vita verò in luce id est agnitione DEI in JESU
CHRISTO Salvatore nostro Joh. XVII. 3. Atq; dum lucem etiam
animis accendit baptismus, eamq; auget, non adeò mirum suo eti-

am Chrismate Johannem respexisse baptismum, maxime cum idem etiam velint antiquissimi Patres baptismum Chrima vocantes. Huc conferebatur, quicquid acceperant Catechumeni ex doctrina fidei, hic profitebantur publice, hic jurabant fidem Christo, tanquam illuminati perfectionem suam nacti, *πίστις* illi Christiani contra quemcunq, hostium impetum. Non enim sine examine & inquisitione fidei ejusq; reddendæ rationis admittebantur homines ad baptismum. Factum inde, ut, dum omnis doctrina fidei eò quasi confluebat, baptismus etiam *Φωτισμὸς* veteribus sit appellatus, Petro verò *ἐπιρώτημα* bonæ conscientiæ erga DEUM I. Petr. III. 21. ex interrogatione illa fidei, quam reddebant ante baptismum. Hoc ergò Chrima opponit adversariis Apostolus, hoc urget, hoc commendat quam gravissimè. Ut enim prudens belli Dux, cum res ad defectionem spectant, vix magis apposita oratione militum fluctuantes animos à defectionis cogitatione ad obsequii constantiam traducere potest, quam cum fidem ipsis semel juratam atq; Sacramentum illud, quo se solenni inter milites seremonia ad obsequium Imperatoris obstrinxerunt, in memoriam revocat: Ita Johannes etiam Apostolus aptiori ad persuadendum oratione uti haud potuit, quam cum suorum animos, Anti-Christi contumeliosis sermonibus mundiqve illecebris sollicitatos, ad baptismi sacramentum, quo in Christi verba juraverant, revocaret, ne fidei desertores fierent, tantæ salutis thesauros prodigentes, tantiq; amoris, quo nos DEUS prosequitur, divitias contemnentes. Non ergò novæ hæresi, non mundi irritamentis aures, ne dum obsequium præbendum esse, sed cogitandum, quod jam semel per baptismum atq; verâ doctrinæ celestis agnitione mundum & quicquid in mundo est, Diabolum, peccatum, hæreses & voluptates divina virtute vicissent Cap. V, 4. eosq; etiam in eadem progressus fecissent, ut scirent omnia, repleti quippe omni cognitione, ut se invicem etiam possent *καθίστην*, apud animum rectè disponere & instruere juxta Rom. XV. 14, docente ipsos Chrismate illo, quod est per doctrinam priorem, de omnibus. v. 27. Ita verò purgat hæc doctrina fidei, unctio illa SPIRITUS, dispellit aliena quæ nocent, præservat à putredine & corruptione mentis, sanat & emollit mores, & munit etiam adversus potestatem aeris, per quem feruntur spiritus mali. Quæ omnia sicut unguentis pro-
pria

pria, ita pulcherrime etiam huc conveniunt, ut non sine causa omnem doctrinam fidei Chrifti nomine complexus fit Johannes. Non vacat neque permittit instituti ratio rem amplius persequi. Id tamen relinquatur, ut ad nos ipsos redeamus, Cives optimi! non dicta scriptaque hæc existimantes primi tantum seculi Christianis, sed nobis etiam, qui eandem fidem sequimur, qui iisdem etiam tentationum periculis obijcitur. Vah! quantum nobis insidiatur idem ille capitalis Christi hostis Satanas. Quam obnixè molitur unctionis præsidium & gloriam nobis perdere, alia atque alia æque tamen fallente via contra nos incedens. Arma, quibus oppugnat nos, peccata sunt, profani seculi mores atque indoles corrupta, vitæ scandala sunt, mundi amor, ipsa eheu! caro nostra & multiplex illa deploranda errorum varietas, impunitas & admiratio. Quid consilii in tantis rerum angustiis, in tanta perturbatione? Scripturam teneamus Amici, ea, qua fas est, fidei & pietatis cura! hæc nobis sit fidei & morum norma: non internus Spiritus nobis alia eaque nova revelans Gal. I. 8, seqq. non carnis etiam pios sollicitantis *Ἐρωτησῶν* & superbium rationis arbitrium Num. XV. 9. non mundi vulgusque iudicium, plausus & auctoritas Joh. V. 44, de quo vere etiam Seneca: Cap. I. de vita beata: *nullares majoribus malis implicat quam quod ad rumorem componimur, optimarati ea, quam magno assensu recepta sunt, quorumque exempla multa sunt, nec ad rationem: (adde Scripturam) sed ad similitudinem vivimus: non seculi profani genium* r. Joh. V. 19, vel quicquid unctioni nostræ adversum est & divinæ in baptismo acceptæ regulæ, qua cum Satana, mundo & peccatis non solum divortium fecimus, sed etiam iisdem mortui sumus Rom. VI. 3. seqq. in cæleste regnum inuncti. Hic finis est unctionis nostræ à SANCITO SPIRITU factæ, hic verus usus est baptismi, quo de mundo & peccatis nostris triumphamus. Non deseramus fidem hanc, Cives optimi! ceu transfugæ ad impietatis castra, sed componamus ad sanctissimæ hujus & doctrinæ & vitæ regulam ex Scriptura omnem vitam nostram, mores, studia, & quicquid obversatur, sensibus nostris. Hoc verbum divinis literis consignatum est, quo in suavissimam consuetudinem & familiaritatem cælestis Patris & Filii Redemptoris nostri æterni pervenimus. Illud est quo animus noster

noster SPIRITU SANCTO ceu oleo latitæ perfunditur , atque in-
vitæ miseris & peccati dolore delinitur : Illud est in quo coe-
lestem hunc Doctorem loquentem , admonentem , consolantem &
informantem audimus , quotiescunque accedimus. Quàm infelices
sunt , qui in tanta DEI gratia , in tanta Evangelii luce , quâ cir-
cumfusi sumus , curam salutis tamen suæ in minimis ponunt , rem
divinam velut alienam à se putantes. Vah ! quanta impietate
feruntur Studiosi quidam etiam in ædibus sacris , quantum indul-
gent carnis suæ libidini , ut non dubitent in mala quæque abire ,
etiam ubi sacra fiunt ! Quid putatis verò O Mei ? ane ita
conjugere licet lucem cum tenebris , CHRISTUM cum Belial ? ane
degenerare ita fas est fidem Christianam in apertam mentis ma-
litiã ? an in Ecclesiæ & Doctorum vestrorum oculis ita furere
licet ? Ubi est baptismi , ubi unctionis vestræ , ubi coelestis do-
ctrinæ memoria ? Comparatur Evangelium etiam ideo Chri-
smati , quia tenacius vult hæere in animis hominum , sicut oleum
firmius adhæret , & altius se insinuat , quam aqua . At vestra
sic impietas plane in contrarium hic nititur , ut ne vestigium qui-
dem appareat divinæ veritatis apud Vos . Redeatis tandem ve-
lim rogoq; ad sanio-rem mentem , ne gravius tandem statuatur in-
Vos & DEI & hominum ira . Ipse verò DEUS pacis sanctos nos
reddat per omnes partes & in omnem finem salutis nostræ , & con-
servetur nobis integer Spiritus , qui omnem habet sortem fidei ,
& anima & corpus inculpate in adventu DOMINI

NOSTRI JESU CHRISTI x. Thef-

sal. V. 23.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS
Academici, in ipso Penteco-
stes Festo
Anno R. S. M DCCXI.



pria, ita pulcherrime etiam huc conveniunt, ut non omnem doctrinam fidei Chriſmatis nomine complexus fit. Non vacat neque; permittit inſtituti ratio rem amplius per tamen relinquatur, ut ad nos ipſos redeamus, Cives op dicta ſcriptaque; hæc exiſtantes primi tantum ſeculi Chriſ nobis etiam, qui eandem fidem ſequimur, qui iisdem etiam num periculis obijcitur. Vah! quantum nobis inſidiatur capitalis Chriſti hoſtis Satanæ. Quam obnixè molitur præſidium & gloriam nobis perdere, alia atque; alia æque; tam via contra nos incedens. Arma, quibus oppugnat nos, peccati profani ſeculi mores atque; inſoles corrupta, vitæ ſcandala & di amor, ipſa eheu! caro noſtra & multiplex illa deplorarum varietas, impunitas & admiratio. Quid conſilii inrum anguſtiis, in tanta perturbacione? Scripturam tenemici, ea, qua fas eſt, fidei & pietatis cura! hæc nobis fit fidrum norma: non internus Spiritus nobis alia eaque; nova Gal. I 8, ſqq. non carnis etiam pios ſollicitantis *φρόνημα* bum rationis arbitrium Num: XV. 9. non mundi vulgique; plauſus & auctoritas Joh. V. 44, de quo vere etiam Seneca de vita beata: *nullares majoribus malis implicat quam quod rem componitur, optimarati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, exempla multa ſunt, nec ad rationem*: (adde Scripturam ad ſimilitudinem vivimus: non ſeculi profani genium r. Jo vel quicquid unctioni noſtræ adverſum eſt & divina in acceptæ regulæ, qua cum Satana, mundo & peccatis non in vortium fecimus, ſed etiam iisdem mortui ſumus Rom. V in cœleſte regnum inuncti. Hic finis eſt unctionis noſtræ CTO SPIRITU factæ, hic verus uſus eſt baptiſmi, quo de & peccatis noſtris triumphamus. Non deſeramus fide Cives optimi! ceu tranſugæ ad impietatis caſtra, ſed cimus ad ſanctiſſimæ hujus & doctrinæ & vitæ regulam ex omnem vitam noſtram, mores, ſtudia, & quicquid obverſa ſibus noſtris. Hoc verbum divinis literis conſignatum eſt ſvaviſſimam conſuetudinem & familiaritatem cœleſtis Patris Redemptoris noſtri æterni pervenimus. Illud eſt quod

